



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 446. De bonis traditis in villa Brunmingtorpe.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

§. 446.

Tradidit asger in *brunningtorpe* I iurnalem et quidquid ad eam pertinet (g).

et gubernante Corbeiam Walhane.

§. 447.

Tradidit helmuardus pro matre sua adde in *snesla* (h) XX iugera et I iurnalem et quidquid ad eam pertinet.

§. 448.

(g) Villam *Brunningtorpe* in Registro abbatis Sarachonis non reperiri cum mentione De villa pagi, in quo ea exstiterit, valde dolemus. Nescimus ergo, quorsum nos verta-Brunmus, ignorantibus quippe, an villa *Brunningtorpe* vna eademque sit ac illa, quæ *mingtorpe* in diplomatibus nostris modo appellatur *Brumenichtorp*, modo *Brumelinktorp*, modo *Brundorp*, quæque probabilissime olim exstitit in dynastia Defenberg in episcopatu Paderbornensi non procul a villa Natzingen. Ea in regione adhuc reperiuntur campus *Brunenseck*, et silua *Brunenbolt*, verisimiliter a Brunone quodam ita dicta, siue ille fuerit Bruno Angariorum dux, siue vnus ex eius posteris, inter quos, quantum nosse datur, XVIII Brunones fuere. Eapropter autem dolemus, quod Saracho non significauit pagum, quia, si pagus Nithega subaudiendus fuisset, perhibere vellemus, *Agerum*, qui in villa nostra quædam tradidit, fuisse *Afig* seu *Esiconem*, filium *Thiamari*, de quo supra egimus §. 104. not. (n). Ex eo concludere porro voluissimus, nomina *Afig* atque *Esic* veteres Germanos nostros proprie pronunciaisse per *Asge* seu *Asche*, quod multis, prouti speramus, fuisset gratissimum. Quemadmodum enim olim inter veteres Germanos nostros nomen *Afig*, *Esich* et *Asche* fuit vsitatissimum, ita illi perhibere potuissent, nomen illud ad nostros Germanos esse deriuatum ab eorum conditore, qui fuerit *Askenas*, nepos Iapheti et pronepos Noachi, testante Mose, qui in rebus historicis eandem fidem meretur, quem merent historiographi exterarum nationum. Cum autem nostræ ætatis spiritus fortes, *esprits forts*, a nobis argumenta petere possent, quibus comprobari posset, *Tuifsonem*, quem Tacitus patrem et fatorem nominat Germanorum, fuisse vel filium, vel nepotem, vel pronepotem *Askenasi* pronepotis Noachi; putamus, melius esse, nihil certi statuere, quam pro vero aliquid venditare iudicari. Inter coniecturas referendum esse illud, si pronunciamus, censuram non merebimur; si autem id pro certo adfirmate vellemus, eadem virgula censoria esse digni, qua D. Lauensteinius, perhibens in *Historia Hildesh.* septem Iapheti filios iam anno mundi 1790 terras Europæ habitasse, et, hoc demonstrandum esse, sibi persuadens, testimoniis fabulosis Iosephi, I. Nic. Hertii ac B. Sylvestri Tappii vsus fuit. Dum autem sibi idem persuadet, eorum testimonia ad demonstrationem rei esse satis idonea, facile etiam eodem modo demonstrari posset, non dari antipodes. Nihil enim tam absurdum est, quod non aliquando dictum sit ab vno historicorum vel eruditorum,

(h) Villa *Snesla* erat in pago *Tilithi* sita, teste abbatis Sarachonis Registro. Eandem De villa esse sitam inter *Osen* et *Gronde*, iam didicimus e litteris Francisci abbatis Corbeienfis, supra (§. 257) adductis. Ex hisce patet, ecclesiam Corbeiensem seu *Snesla* contulisse quoddam in villa *Snesla* dominis de *Haken*. Eadem villa appellatur in litteris sequentibus *Senesele*. Id autographum non est in membrana, sed charta, quam papirum vocant, scriptum. En litteras ipsas.

Wy *Eckhart* und *Cord van Osen* bekennen und betugen in dussen open versegghelden breue de beseghelt ys mit *Erenstes Haken* ingheseggel des wy brukende syn um unser twyer vorbenomet *Echerts* und *Cord van Osen* bede willen went wy neyn eghen ingheseghele en hebet dat wy hebbet myd guden willen gheantwardet und ghesat den bref den wy hadden van dem van *Stockhem* de uns stant vor vyff *bannoversch* pund dar uns de van *Stockhem* vorghesetet hebbet lant dat

Ppp p 2